OBSERVATIONUM IN THUCYDIDEM

FASCICULUM I.

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

AC

NOMINE

RECTORIS ET PROFESSORUM

ORATIONES

IN REGIO GYMNASIO ILLUSTRI

DIE XXVI. SEPTEMBRIS

HABENDAS

RITE INDICIT

CHRISTIAN. NATHANAEL OSIANDER

Ph. D. eloqu. litt. hum. et hist. professor P. O.

MDCCCXXVII.

STUTTGARTIAE,

EX TYPOGRAPHIA FRATRUM MAENTLERIORUM,

Typ. Aul. et Cancell.

§. 1. Thucydides, qui, Cicerone recte judicante, ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum rerum sententia consequatur, ita verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur, mirum non est, quod varias expertus sit interpretationes. Spicilegio igitur post virorum doctissimorum curas in obscurioribus ejus capitibus enucleandis locum fore, si contendimus, veniam inventuri nobis videmur. Cum vero in scriptore gravissimo vernacula lingua reddendo operam nostram collocare aggressi simus: haud alienum ab ista provincia suscepta duximus, tum de indole clarissimi rerum auctoris, tum de locis dubiis, in quibus enarrandis superiores interpretes hæserunt, aut parum apte versati esse videntur, paucula disputare.

§. 2. Cum inter omnes constet, Thucydidem brevitate laborare, quæ in obscuritatem passim abeat, eundemque, dum altius insurgat, ab asperitate nonnumquam parum abhorrere, quæ quidem in casuum temporumve permutatione, ac inusitatiore vocum structura posita sit: quærere licet, quomodo fieri potuerit, ut scriptor Periclis æqualis, qui in ipso literarum Atticarum flore ætatem degerit, ad abstrusum illud et asperius dicendi genus passim delaberetur? Quod quidem tum ex singulari viri indole, et disciplinæ, qua usus est, habitu, deinde ex temporum rationibus, et historiæ

conscribendæ, quem sequi debuit, modo satis explicari posse arbitramur.

§. 3. Vir cordatus amplissimo et profundissimo valebat ingenio, quod, cum ad opus elaborandum animum adplicuisset, diuturna et diligenti meditatione ac longa experientia exercitum ingentem suppeditabat scribendi materiam: tanta igitur rerum et sententiarum affluebat copia, ut sollicitus quasi, ne quid ex cogitatis sibi excideret, quam brevissimis verbis singula comprehendere studeret, ideoque parum curæ elocutioni impenderet.

Deinde ex ætate ejus, et institutione, qua gavisus esse perhibetur, ac ex sentiendi ratione, quam clarissimi quidam ex popularibus viri sequebantur, intelligere licet, quamobrem hoc potissimum dicendi genus elegerit Thucydides. Socrate duobus circiter annis major, iisdem haud dubie usus est magistris, ex quorum ore et scriptis feracissimo Socratis ingenio meditationis igniculi sunt injecti. Audivit, teste *Marcellino*, Anaxagoram philosophum; cujus ex disciplina superstitionis vulgaris despicientiam, qua ab Herodoto potissimum discrepat, hausisse videtur: qua de re conferas velim *Plutarchum* in Pericle, cap. sexto. Lacessit quidem illud Marcellini testimonium *Tzetza* (in fragmento cod. Pal.) ea usus ratione, quod Euripides quoque Anaxagoræ discipulus fuisse perhibeatur. Sed temere ista Marcellino objiciuntur. Euripidem enim anno 480 ante Chr. nat. in lucem editum esse, Thucydidem vero decennio post natum esse, vulgo sumitur. Quidni igitur ejusdem magistri scholas frequentare potuerint, vix intelligitur. Eundem illum Anaxagoram inter Socratis magistros a nonnullis enumerari, autor est *Diogenes Laërtius*. Uterque porro Prodicum Ceum Sophistam cognovisse dicitur: cujus argutum et subtile dicendi genus Thucydides imitatus

esse, *Marcellino* videtur. Deinde Antiphontis rhetoris institutione usus est, de quo memorabile extat Thucydidis testimonium libro VIII c. 68: κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν. Cum igitur Socratis æqualis Thucydides fuerit; idemque cum Socrate et Socraticis in nonnullis sententiis e. g. de Pericle (conf. *Thucyd.* II. 65 cum *Aeschine* dialog. I. 1. 2. et *Xenophonte* in Memorab. III. s. 1.) et de Alcibiade (conf. *Thucyd.* VI. 15 cum *Xenophonte* ibid. 1, 2, 24, 25.) egregie consentiat: verisimile est, eum, quo erat ingenio veritatis studiosissimo, de Sophistis, qui τὸν ἥττω λόγον neglecta veritate κρείττω ποιεῖν studebant, inque ejusmodi artibus mirum quantum sibi placebant, ideoque mero verborum tinnitui nimium tribuebant, idem, quod Socratem, statuisse, et cavillationes, quibus hic Sophistas insectabatur, et compertas habuisse et probasse. Quamquam igitur antitheta, quorum ope Sophistæ quoque concinnitate aliqua orationem exornare gestiebant, non omnino est adspernatus; tamen effusam istam dicendi copiam, qua Sophistæ sese jactabant, tantum aberat ut sectaretur, ut contrario loquendi genere, quod densa illa brevitate conspicuum est, unice et ultra modum delectaretur.

Præterea in exigendo Thucydidis stylo id non omittendum est, quod historiæ attice scribendæ auctor ille princeps extitit, neque alienis insistere potuit vestigiis, sed viam ipse sibi sternere debuit.

Accedit, quod Thucydides inchoatum duntaxat, neque vero absolutum opus videtur reliquisse, quod, si vita suppetiisset, aut si vigentiore ætate copia fuisset, aut primam ejus telam pertexendi, aut opus universum elimandi; multis in locis verborum delectu eorumque comprehensione nisi forte ornatius, saltem castigatius haud dubie posteris fuisset proditurus. At cum jam quadragenarius belli initia vidisset, ejusdemque gerendi ipse particeps, finem adeo

ætate sua complexus sit; (confer. *Thucyd.* V. 26. *Dionys. Halic.* ed. Sylburg II. p. 157.) dubium vix est, eum circa quinquagesimum demum ætatis annum ad scribendam historiam animum appulisse. Sunt adeo, qui eum sexaginta septem demum annos natum ad historiam componendam accessisse autument: (conf. *Poppo* in prolegom. ad ed. Thucyd. 1821. p. 1. vol. 1, p. 30) quod quidem verum esse, eo tantum sensu concesserim, si materiam ab autore summa cum diligentia paulatim congestam et in exilio passim exaratam, post reditum in patriam in justum ordinem redactam sumas: ita ut ultimam quasi manum operi senex admovere aggressus sit. Facile igitur intelligas, unde fiat, ut juvenili orationis vigore, et vivido imaginum colore raro opus niteat: virilem contra, imo senilem maturitatem omnia sapiant: lepidos nimirum sermonis fucos atque cincinnos vir ætate provectus captare non sustinebat, quippe cui persuasum esset, ex materiæ ipsius gravitate, ex sententiarum veritate et pondere, denique ex ipsa illa religione ac fide, qua opus suum persequi propositum haberet, optimum huic ornamentum accessurum, et licet istis cultus munditiis ac orationis illecebris destitutum, immortale nihilo secius historiæ monumentum (conf. I. 22) sese conditurum esse.

§. 3. Cum igitur elocutioni elimandæ et ornandæ parum curæ adhibuisse videretur Thucydides; erant, qui id moleste, ut ita dicam, ferrent. Ut Dionysium Halicarn omittam, qui in Lysia suo et in singulari libro de operis Thucydidei indole data opera Auctoris nostri, quæ perhibet, vitia enumerat, et ultra modum exaggerat: cuius quidem judicium docte et solerter, ut solet, ventilavit *Creuzer*, in libro: *Die historische Kunst der Griechen*, p. 265 sq. 268 sq.: Cicero quoque, mirus ille dicendi artifex, qui ornatum et

copiam ab oratore perfecto, cuius effigiem animo informaverat, non poterat non exigere, iniquius de Thucydide videtur judicare (conferatur orator c. 9. ed. Schüz. III. p. 151.) ubi in perversos Thucydidis imitatores invehitur, qui mutila quædam ac hiantia loquuti, germanos sese putent Thucydidas. Ibi enim contendit, nihil a Nostro transferri posse ad forensem usum et publicum; quippe cuius conciones ita multas habeant obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur; perversum igitur fore, si quis, inventis frugibus, glande vesci velit! In qua sententia ferenda Cicero, sit venia verbo, halucinatus esse et legem æquitatis migrasse videtur. Ut enim largiamur, perspicue et molliter loquendi exemplum Thucydidem haberi non posse; tamen graviter et ponderose loquentem si quis orator imitatus fuerit, a fine sibi proposito non aberraverit. Cicero in ornatu et numero, quam externam dicendi formam appelles, commendando nimius fuit, neque materiæ, quam par erat, habuit rationem, quippe cuius inveniendæ, in justum ordinem digerendæ, et sententiæ auditori probandæ sane optimus autor haberi debet Thucydides: qui ingenii humani latebras egregie habuit perspectas, et, popularium superstitione superior, divina humanaque, præsertim honesti justique scientiam et rerum publicarum rationes, cuncta denique probe explorata, argute exposuit. (Videantur velim egregii commentarii: *Vergleichende Bemerkungen über Thucydides und Tacitus von Fr. Roth, Dr. München.* 1812. p. 7. et: *Zur Geschichte Hellenischer Staats Verfassungen — Bruchstück einer historisch-politischen Einleitung in das Studium des Thucydides von Friedr. Kortüm. Heidelb.* 1821. p. 189 sq.) Quidni igitur ad usum forensem et publicum a tali rerum auctore plurimum proficere poterat orator? Constat etiam, quam ingentem fructum ex

Thucydide iterum iterumque lectitando et penitus imbibendo ceperit Demosthenes.

§ 4. Quemadmodum vero, si qua in re Thucydides peccaverit, eum ab oratore non putide imitandum esse, Ciceroni concedendum est; ita eandem interpreti quoque normam tenendam esse censemus. Suboritur enim jam quæstio, quænam sint partes interpretis historiæ Thucydideæ? Oporteatne obscura verbis obscuris reddere: perplexas vocum comprehensiones itidem perplexe loquendo exprimere: asperitatem auctoris horrido dicendi genere imitari? In hanc sententiam ut descendamus, a nobis impetrare non possumus. Constant etenim et linguæ vernaculæ, quamlibet obsequiosæ et ad formas quascunque induendas proclivi, jura sua, a multis pensi non habita, et leges, quas violare, et indoles sua, quam misere, ut nonnulli solent, detorquere nefas est. Præterea si scriptorem per se salebrosum in aliam linguam transferre aggrediaris, ex huius linguæ indole, novæ vel invito accedent salebræ: et quod græcis auribus forsan sordebat, id germanicis, si pressius reddideris, novis insuper ex hac lingua, et ex ipsa vertendi difficultate additis vitiis, multo magis etiam horridum videbitur. Sermonis igitur vernaculi genio in reddendo Thucydide eatenus indulgendum esse duximus, ut in iis locis, quæ ex peculiari Græcis loquendi more abhorrentem a nostris auribus conformationem traxerunt, Heilmanno aliisque præeuntibus nimis longas periodos in minores dispescceremus, et aspera dictu mollius exprimeremus, ita tamen, ut, quoad ejus fieri posset, religiose caveremus, ne quid ex sententiis auctoris expungeretur. Hanc normam autorem convertendi probavit *Cicero*: (de optimo genere oratorum c. 5.) ait enim, Aeschinis Demosthenisque orationes inter se contrarias se convertisse, sententiis iisdem, et earum

formis, tanquam figuris: verbis ad romanam consuetudinem aptis: nec verbum pro verbo necesse habuisse reddere, sed genus omnium verborum vimque servavisse: non ea ratum annumerare lectori oportere, sed appendere.

§. 5. Accedimus jam ad officium, quod nobis imposuimus, de dubiis Thucydidis locis nova quædam aut novis argumentis munita proferendi, quae lucem auctori possint affundere, aut superiores interpretationes, ubi e re id visum fuit, convellendi.

Lib. I. c. 93. νομιζων το τε χωριον καλον ειναι . . . και αυτους ναυτικους γεγενημενους μεγα προφερειν εις το κτησασθαι δυναμιν. Vox προφερειν a Schneidero, Jacobsio in chrestomathia, et plerisque interpretibus explicatur sensu reciproco, cuius exempla desiderantur: quamquam προκοπτειν ita usurpatur. Cum igitur active aliâs sumatur: inhærendum ei significationi, quam habet *Hesiodus* (Op. et Dies v. 577) existimo, ita ut reddas: ratus, hunc locum — Piræum — opportunum esse, et ipsis, si rei nauticæ operam dedissent, multum commodi ad augendas opes allaturum esse.

§. 6. I. 95. προσειχον την γνωμην. Lectionem septem codicum, τῃ γνωμῃ *Gottleber* probat, *Jacobs* recepit. Sed cum *Göllero* (ed. Thucyd. Lips. 1826. I. p 267) et *Poppone* (ed. Thuc. Lips. 1825. II. 1. p. 331) aut lectio την γνωμην est reponenda: aut interpretatio: τῃ γνωμῃ voluntati et consiliis Jonum obsecuti sunt, rejicienda: quia, posita hac, Thucydides in ταυτολογιας crimen incurreret, a quo maxime est alienus.

§. 7. II. c. 29. Nymphodorum Abderitam proxenum ab Atheniensibus constitutum esse narrat, eundemque Athenas arcessitum. *Bredovius* in notis ad *Heilmanni* versionem (*Dritte Auflage, Lemgo* 1823. p. 250) inde colligit, Nymphodorum Athenis sedem fixisse.

Nos contra existimamus, more aliorum proxenorum hunc quoque, transactis, quæ in urbe ipsi perficienda erant, negotiis, in patriam reversum esse, ubi deinceps commodis Atheniensium prospiceret. Cui sententiæ firmandæ hæc inserviant argumenta. Apud Thucydidem III. 2. (collato II. 170) cives quidam Mitylenæi, Atheniensium προξενοι his nunciant, Mitylenæos defectionem parare. Nequaquam hoc loco verisimile est, hospites illos publicos Athenis commoratos esse; sed in Lesbo insula degebant, ibique factioni Athenis faventi præerant. Teste *Diodoro* (XIII. c. 56.) Nicias Athenis proxeni Syracusanorum partes egerat. *Pollux* (onomasticon III. 4.) προξενους civitatis, ait, eos esse, qui in altera civitate degentes, eidemque adscripti publica negotia prioris civitatis gerant, ut hospitio hinc illuc commeantes excipiantur, prospicientes: ac comitia adeundi copiam, et ludos spectandi facultatem ipsis procurantes. *Hesychius:* προξενος, inquit, ὁ ἐν τῃ ἑαυτε (sc. χωρᾳ) ξενίᾳ προϊσαμενος. Suidas: προξενοι προστατα πολεων, και φροντισαι τεταγμενοι εἰς το ὑποδεχεσθαι τας ξενας ἐξ ἀλλων πολεων ἡκοντας. Conferatur etiam *Manso*, qui (Sparta I. vol. 1. p. 100) docet, proxenos aliarum civitatum, Spartæ aut in agro Laconico degentes eligere, penes reges fuisse.

§. 8 II. 37. ἀδε ἀζημιας μεν, λυπηρας δε τῃ ὀψει ἀχθηδονας προστιθεμενοι: Desumtus est locus ex longe præstantissima illa Periclis oratione funebri: ibique Spartanorum et Atheniensium leges pœnales inter se comparantur. *Bredovius* obscurius et parum apte vertit: *noch geldlose Schmerzen verhängend.* *Gœller* ita reddit: *noch straflose, aber schon dem Auge weh thuende, Schmerzen verhängend:* et locum interpretatur de puerorum Spartanorum flagellationibus. At in contextu non de puerorum educatione sermo est, sed de mitioribus Atheniensium legibus, a Spartanorum rigore in coërcenda adulto-

rum petulantia alienis. Etenim ὁ πελας de puero nominatim accipi vix potest. Hanc igitur vim istis verbis subesse credimus: „nos quidem, Athenienses, mulctis irrogandis non abstinemus; neque vero supplicia visu molesta exigimus.“ Constat, Athenienses, tum in litibus privatis, tum in publicis, si quis causa cecidisset, eum pecunia sæpius mulctasse: (conf. *Becker* Demosthenes II. p. 5—37) In promtu sunt exempla Miltiadis, Aeschinis rhetoris, aliorumque. Apud Spartanos vero inferiori demum ætate mulctæ pœnam invaluisse, verisimile est. (cf. *Manso* Sparta I. 1. p. 173.) Iidem vero non pueros tantum, quos tolerandis doloribus adsuefacere vellent, sed adultos quoque pœnæ loco virgis cædere solebant: (vid. *Cragius* de rep. Lac. IV. c. 10.) Quare igitur putidum *Gœllero* videatur, si pecuniæ hoc loco injecta sit mentio, nos quidem non intelligimus.

§. 9. II. 39. Καιτοι ει ῥᾳθυμιᾳ μαλλον ἡ πονων μελετῃ και μη μετα νομων το πλειον ἡ τροπων ἀνδρειας ἐθελοιμεν κινδυνευειν. . . — *Heilmann* obsolete vertit: *Wir lassen es gemach angehen etc. Jacobi* (*Thucyd. übersezt von Max. Jacobi. Hamburg* 1804): *Und ist es auch wahr, dass wir mehr durch natürlichen Muth, als durch Uebung zu Mühseligkeiten gestärkt, den Gefahren Troz bieten*... Liquet, græca parum accurate expressa esse. Propius ad vim textus accessit *Gœller*: *Und doch, wenn wir in leichtem Sinne mehr als mühevoller Vorbereitung und nicht sowohl mit der Geseze als der Denkart Tapferkeit Gefahren bestehen wollten*... Mihi quidem Spartanorum molesta ad bella exercitatio comparari videtur cum commodiore vitæ genere, quod Athenienses sequebantur, ῥᾳθυμως διαγοντες, genio indulgentes, nec idcirco nativa quadam fortitudine carentes. Quare ita reddidi: *Und wenn wir es etwa auch vorziehen, lieber aus gemächlicheren LebensVerhältnissen, als aus einer mühseligen Uebungsschule,*

und mit einer Tapferkeit, die nicht sowohl auf den Gesezen, als auf dem Charakter beruht, in den Kampf zu ziehen.... ῥᾳθυμια non de animi tantum levitate, sed etiam de remissis moribus, quamquam aliâs sensu deteriore usurpatur. (conf. *Diodor.* V. 40. ἐν κοιτοις και ῥᾳθυμιαις ἀνανδροις βιουντες.)

§. 10. II. 40. Φιλοσοφουμεν ἀνευ μαλακιας. Hanc vocem *Göttleber*, perstringens recentioris ævi mores, ad fabulas romanenses aut carmina amatoria trahit, quasi sensus foret: Athenienses literis operam dare, neque vero amœnioribus aut mollioribus. Nos vero effectum potius quam genus aliquod literarum artiumve credimus indigitari. Doctrinæ, ait Thuc., Athenienses esse studiosos: neque vero ita, ut hisce studiis emollescant. Hæc quoque eo consilio dicta sunt, ut refutarentur Spartanorum opiniones, qui ἀμουσοι haberi gestiebant, (confer. *Aelian.* v. hist. XII. 50 et *Athenæus* XII. ed. Basil. p. 302) et rhetoricen ac philosophiam inter populares exerceri vetabant, (vid. *Manso* l. l. I. 1. p. 167) istis literis tractandis animos rati effeminari. Το φιλοσοφειν ad disciplinas graviores generatim referendum esse arbitramur, quibus tum rhetorica, tum physica, tum philosophia, strictim sic dicta possunt comprehendi: eodemque fere sensu, quo ab *Isocrate*, (in Panegyr. c. 13. et in Busiride sub fin.) hanc vocem usurpari.

§. 11. II 40. Και αὐτοι ἠτοι κρινομεν γε, ἡ ἐνθυμουμεθα ὀρθως τα πραγματα. Jacobi: *Auf solche Weise erlangen wir Fertigkeit in der Beurtheilung und dem Entwurfe jener Angelegenheiten.* Sed ὀρθως non agilitatem animi, verum recte judicandi facultatem significat. Neque, ἐνθυμουμεθα, de consiliis componendis, sed de negotiis publicis juste ponderandis intellectum velim. Voces: κρινομεν et ἐνθυμουμεθα ita sibi opposita esse censeo, ut illa: judicium ore prolatum, hoc vero:

sententiam meditando conceptam sed adhucdum mente reconditam innuat. *Gœller* ita vertit: aut ipsi judicamus, aut post aliorum judicia rectam de rebus sententiam concipimus. Sed ἐνθυμεῖσθαι ii temere dicuntur, qui alienis judiciis obsequuntur, re suopte ingenio non ponderata. Τὸ αὐτοὶ et γε equidem potius ad omnes omnino cives, et utrumque, rei considerandæ et voce dijudicandæ laborem referre malo: ita ut hoc quoque loco Spartanorum mos cum Atheniensium consuetudine conferatur, et hanc illi præstare doceatur. Libertas enim de re publica sententiam ferendi multo major Athenis, quam Spartæ obtinuisse videtur: cum illa in urbe cuilibet civi in concione prodire integrum esset. Spartæ vero, id quod ex Thucyd. I. 79. 86 colligas, tum reges, tum ephori sententiam in concione dicebant; reliqui aut acclamando, aut in diversas partes abeundo suffragia ferebant (conf. c 87): raroque ipsi ad causas publicas orandas prodiise videntur. Coërcebantur nimirum ingenii illa senectutis verecundia: ideoque vix senatorum alicui contradicere audebant. Magistratuum deinde, præsertim ephororum auctoritas apud Spartanos multo major erat, quam apud Athenienses: id quod ex popularis imperii indole facile intelligitur. Quamobrem sensum loci esse opinor: Nos ipsi nostra sponte, neque solo magistratuum jussu, aut alienæ sententiæ obsecuti, judicia saltem ferimus, et quid e republica sit, exploramus. Alludere etiam auctor videtur ad tenuem Laconum sortem, quorum exigua pars erat in republica gerenda, vel ad miseram Helotarum conditionem, qui, glebæ adscripti, suspicaci cum diligentia custodiebantur, ne novi quid molirentur, quibusque de publicis negotiis ne hiscere quidem licebat. Innuit igitur orator, melius vel cum infimis Athenarum civibus agi, qui nisi forte in comitiis, saltem in foro aut in porticibus deam-

bulantes de civitate sermones serere solerent.

§. 12. Ibid. Ὀυ τους λογους τοις ἐργοις βλαβην ἡγουμενοι. *Heilmann: Wir legen den Grundsaz, nicht dass Ueberlegung der thätigen Ausführung nachtheilig sei.* At λογοις rerum considerationem per se spectatam significari, nobis persuadere non possumus. Orationem ipsam orator innuit, pungens Spartanorum breviloquentiam, et fastidium eloquentiæ. Ipso enim autore teste, iidem ab justa meditatione nequaquam abhorrebant, sed longas tantum orationes detrectabant.

Ibidem. ὁ τοις ἀλλοις ἀμαθια μεν θρασος, λογισμος δε ὀκνον φερει. Cum *Heilmanno* ὁ pro ὅτι, sensu apud *Homerum* sæpius occurrente sumimus. Duplex tamen sese primo obtutu offert interpretatio: altera καθ' ὁ, *wobey:* altera ὅτι: cum, relatum ad διαφεροντως, quam equidem potiorem judico. Durissima vero est Popponis explicatio qui (in observat. criticis in Thucyd. Lips. 1815. p. 197) ὁ pro nominativo accipit, et ad ἐκλογιζεσθαι refert: ita, ut, interjecta antithesi — ἀμαθια μεν θρασος — subjectum ὁ scil. λογισμος repetatur. Quem in sensum verba torquere prorsus non opus est. Ea autem re autor præstare Athenienses reliquis contendit, quod imperitia aliâs audaciam, deliberatione vero cunctationem gignente, ipsi cum accurata rerum gerendarum ponderatione fortitudinem conjungant.

§. 13. Ibidem. Βεβαιοτερος ὁ δρασας την χαριν. Interpretamur cum *Gœllero: Beständiger in der Gesinnung*.... neque *Bredovio* adstipulari possumus, qui ita vertit: *Wer die Gefälligkeit erwies, hat den bessern sicherern Stand.* Nimirum τῳ βεβαιοτερος respondet oppositum: ἀμβλυτερος. quod nolim cum *Heilmanno* vertere: Blöder: rebus suis minus confisus. Etenim significatio: hebetior sive segnior tum sequentibus, tum usui melius convenit: ἀμβλυς enim apud Euripidem

est: segnis v. c. in cursu. Secundum *Bredovium* autem, ut contrarium contrario responderet, ἀμβλυς esse deberet: qui externa conditione ancipiti fluctuat; quæ significatio haud scio an exemplis possit confirmari.

§. 14. Ibidem. Μονοι ὀυ του ξυμφεροντος μαλλον λογισμῳ ἠ της ἐλευθεριας τῳ πιστῳ ἀδεως τινα ὠφελουμεν. *Heilmann* vertit: *Wir haben die Gewohnheit, dass wir Andern nicht sowohl aus Betrachtung unseres Nuzens, sondern uns eine edelmüthige Freimüthigheit zu versichern, Dienste erweisen.* At τῳ πιστῳ solet referri non ad ea, quæ demum firmanda sunt, sed quæ jam certa sunt. Longius deflectit a proximo verborum sensu *Jacobi*: *um uns das Recht zu einer freimüthigen Behandlung zu erwerben.* Nos quidem cum *Valla* et *Gottlebero* ἐλευθεριας pro ἐλευθεριοτητος positum existimantes, vertimus: liberalitatis fiducia. Sed tum quoque duplex subesse potest sensus: alter, si subintelligas: ἡμων; alter, si: ἐκεινων. Nostra liberalitate freti, id est, confisi, beneficiis generose in alios collatis bene nobiscum actum iri. Aliter se res habet, si ἐλευθεριαν clientibus Atheniensium attribuas. Tum quidem sensus foret: soli nos, quid lucri in nos redundaturum sit, non anxie, ἀδεως, computantes, sed confisi, clientes, si quid liberalioris sensus ipsis insit, memores beneficiorum fore, ipsis subvenimus. Procliviorem hunc sensum esse opinantes reddidimus: *Wir allein sind es, die andere rüksichtslos unterstüzen, nicht sowohl unsern Vortheil berechnend, als ihrem Edelmuthe vertrauend.*

§. 15. II. 42. Και γαρ τοις τ'ἀλλα χειροσι δικαιον την ἐς τους πολεμους ὑπερ της πατριδος ἀνδραγαθιαν προτιθεσθαι. *H. Stephanus* (Thes. l. græcæ Tom. III. p. 1509) ita: proponant sibi, fortiter et strenue dimicandum. *S*ed sermo est de fortitudine jam comprobata, neque vero de ea, quæ

demum expectatur. Scholiastes vocem προτιθεσθαι explicat.: προτιμασθαι. *Valla* vertit: primo loco poni, *Heilmann*: *Denn wenn sich auch Jemand sonst schlecht aufgeführt; so verdient doch ein so tapferes Bezeugen im Kriege für das Vaterland vorzüglichen Ruhm.* *Jacobi*: *Selbst bei sclechteren Menschen ist es billig, ihnen um der im Kriege für das Vaterland bewiesenen Tapferkeit willen einen höhern Plaz einzuräumen.* Obstat huic interpretationi dativus; τοις χειροσι. Dici enim debebat: τους χειρονας δικαιον (κατα) την ἀνδραγαθιαν προτιθεσθαι. Quodsi interpreteris: In hominibus aliâs deterioribus fortitudini reliqua omnia, e quibus ipsos æstimare possis, debere posthaberi; satis bene omnia fluerent, nisi dativus: χειροσι pro: ἐν χειροσι offenderet. In mentem igitur nobis venit: προτιθεσθαι poni posse eodem sensu, quo προβαλλεσθαι τι, sese tueri, e. g. aliquo armorum genere. Vertimus igitur: Vel iis, qui vitiis aliâs non sunt immunes, jure suo licet, fortitudine in bellis comprobata präsidio uti. Quæ si forte viris doctis parum se probaverint: acquiescendum censemus in hac sententia: exempli loco proponere iis licet fortitudinem.

§. 16. ibidem. Δι' ἐλαχιστου καιρου τυχης ἁμα ἀκμη της δοξης μαλλον ἠ του δεους ἀπηλλαγησαν. Ad illustrandum locum præclarum quidem, sed difficiliorem diversas interpretandi rationes juvat enumerare. Plurimum refert, quomodo verba distinguas. Possit aliquis opinari, jungenda esse verba: τυχης ἁμα ἀκμη: ut sensus sit: brevissimo temporis momento in fastigio fortunæ sive felicitatis constituti vita gloriosa potius, quam timore defuncti sunt. Cui interpretationi recte opponas: δοξης ἀπαλλαττεσθαι durissime dici pro: ζωης ἐνδοξου: et primo obtutu hanc interpretationem, cum eo, quod oratori propositum est, pugnare: qui nequaquam bello cæsos gloria excidere sed florere, debet profiteri. *Scholiastes*, *Heilmann*, *Kistemaker* aliique ita distinguunt:

δι' ἐλαχίστου καιρου τυχης, ἁμα ἀκμη της δοξης μαλλον ἢ του δεους, ἀπηλλαγησαν: ita, ut vox extrema simpliciter et sine genitivo posita per elegantem et hoc potissimum loco mollissimam λιτοτητα significet; vita decesserunt. Quare *Jacobi* vertit: *Sie sind durch einen schnellen Wechsel des Glücks vielmehr auf der höchsten Stufe des Ruhms als der Furcht, aus dem Leben geschieden. Bredovius* autem cum paraphrasi ita explicat: *So durch des Schicksals schnell und leicht gewandte Entscheidung schwanden sie dahin, mehr auf dem Gipfel der sicheren Meinung eines ruhmvollen Sieges, als der sclavischen Furcht für ihr Leben.* In hac interpretatione, admodum alias probabili, displicent verba: καιρος τυχης ἐλαχιστος, duriuscule sumta pro brevissimo temporis momento, quod fortunæ discrimen afferat. Deinde nec vox ἁμα, ab interpretibus pro ἐν sumta satis bene quadrat.

His perpensis novam tentavi interpunctionem: et, commate post καιρου, τυχης, et δοξης, posita verba ἁμα ἀκμη της δοξης, pro inciso accepi, et junxi: τυχης μαλλον ἢ του δεους ἀπηλλαγησαν. Quare ita reddidi: *in einem kurzen Augenblicke wurden sie, auf dem Gipfel des Ruhmes sich fühlend,* (eodem momento quo maximo gloriæ sensu florebant et elati erant) *nicht sowohl von der Furcht als von der Macht des Schiksals entbunden.* Cui interpretationi si objicias: verborum ordinem sic turbari, et voces: ἁμα ἀκμη της δοξης perperam post τυχης inserta existimari: responderim, similes ordinis permutationes sæpius apud Thucydidem occurrere: de quibus conferri velim *Popponem* (I. 1. p. 302). Si porro contendas: articulum της ante τυχης abesse non posse; equidem contra dixerim, articulum in sententiis ab autore ipso passim negligi: deinde in ipsa voce τυχη apud alios quoque sæpe omitti. Sic *Plato* (de leg. IV.): μετα θεου τυχη και καιρος τ' ἀνθρωπινα

ἀκυβερνωσι ξυμπαντα. Favent denique nostræ interpretationi ii Græcorum loci, ubi morte homines a fortunæ arbitrio immunes fieri perhibentur. Accedit ad Nostrum *Lysias* in epitaphio: τον βιον ἐτελευτησαν, ὀυκ ἐπιτρεψαντες περι ἀυτων τῃ τυχῃ. *Demosthenes* in oratione funebri ita: ἐυδαιμονες (ὁι ἐνθαδε κειμενοι), νοσων γαρ ἀπαθεις τα σωματα, και λυπῶν ἀπειροι τας ψυχας. In fragmento orationis epitaph. *Hyperidis* apud *Stobæum* (123) hæc leguntur: ἀπηλλαγμενοι ἐισι νοσων και λυπης, και των ἀλλων των προσπιπτοντων ἐις τον ἀνθρωπινον βιον. Addere liceat *Epicteti* verba apud *Stobæum*: Κακος μεν δεσμος σωματος τυχη: τον δε λυει φυσις δια θανατου.

§. 17. Subjungimus nonnulla de origine et indole præstantissimæ illius orationis funebris, quam Noster Pericli tribuit. Sumere quidem licet, sermonem hunc parentalem, cui interfuisse Thucydidem verisimile est, ex Periclis ore haustum in historicum hoc opus transferri potuisse. Sed etsi argumenti summam a Pericle mutuatus esse videatur Thucydides; tamen in ipsa oratione adornanda suo ingenio haud dubie indulsit. Universus enim orationis tenor Thucydidem sapit: neque credibile est, densas illas et subobscuras sententias, quæ altera alteri quasi instant, ab ipso Pericle, quales hic leguntur, coram concione esse prolatas. Athenienses enim, quamvis alacerrimo et promtissimo præditi ingenio oratorem talia loquentem ægre fuissent assecuti. Memoratu vero dignum est, quod orator, fastiditis fabulis istis, quarum orbem reliquæ orationes Græcorum funebres, ad nostram memoriam transmissæ, *Lysiæ*, *Platonis* in Menexeno, *Demosthenis*, cum *Isocratis* Panegyrico ad earum exemplum composito, fusius emetiuntur, meris rebus in facto positis immoratur, et eam, quam ipse (I. c. 21. 22) sibi præscripsit, normam stricte secutus, ceteros, qui in eodem stadio decurrerunt, sententiarum veritate et gravitate longe post se reliquit. Id vero

orator potissimum egisse censendus est, ut Athenienses bello gravi impliciti ejusque incommoda jam ex parte perpessi, et fœdiora etiam iu posterum experturi, animum ne desponderent, sed prisca patriæ et popularium virtute et gloria confirmati in belli laboribus generose tolerandis perseverarent.

§. 18. In explicanda celeberrima illa pestilentiæ, quæ altero belli anno Athenis grassari cœpit, descriptione præter reliquos interpretes etiam *Grunerum* (*Bibliothek der alten Aerzte. Lpzg.* 1782. II. p. 525 sq.) consuluimus, cui autoris sensum prorsus assequi non semper contigit.

II. 48. ἐλεχθη ὑπ' ἀυτων, ὡς οἱ πελοποννησιοι φαρμακα ἐσβεβληκοιεν ἐς τα φρεατα· κρηναι γαρ ὀυπω ἠσαν ἀυτοθι. *Gruner* vitiose vertit: *Es gieng die Rede, als hätten die Peloponnesier Gift in die Brunnen geworfen: und gleichwohl waren damals keine Brunnen da.* φρεατα putei, sive cisternæ cum fontibus aquæ fluentis a Grunero confunduntur, qui posteriore demum ætate in Piræo effossi esse videntur. De fontium in Attica raritate conferatur *Plutarchus* in Solone, cap. 23. Cæterum vix opus est, monere, και γαρ significare non posse: *gleichwohl.*

Idem II. 49. ἐν τῳ ὁμοιῳ καθειστηκει το τε πλεον και ἐλασσον ποτον male vertit: *Viel oder wenig trinken war gleich gefährlich.* Quamobrem potus quilibet fraudem valetudini attulerit, id quod pace medicorum dixerim, non intelligo. Sensus potius est hic: multum an parum biberent, nihil intererat ad sitim restinguendam.

§. 19. II. 50. Γενομενον κρεισσον λογου το ειδος της νοσου τα τε ἀλλα χαλεπωτερως ἢ κατα την ἀνθρωπειαν φυσιν προσεπιπτεν ἑκαστῳ, και . . .

Gruner: Diese Art der Krankheit, die grösser war, als man sich vorstellen kann, und dabei heftiger, als die menschliche Natur, befiel alle Menschen ohne Unterschied. Reddere debebat in hunc

sensum: Hoc morbi genus, quod omnem orationis modum excedebat, tum, si cætera spectes, gravius, quam pro humanæ naturæ viribus, quemcunque corriperet, invadebat, tum...

§. 20. II. 51. ἕν τε οὐδὲν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ τι χρὴν προσφέροντας ὠφελεῖν. *Gruner* et *Jacobi*, latinam versionem: ut ita dicam, secuti in hunc fere sensum reddunt: *Man hatte, so zu sagen, kein bestimmtes Heilmittel.*

At locutio inusitatior aut proverbialis, cui addi solet: ut ita dicam, nulla hic prostat. Ὡς igitur pro ὥστε accipiendum. Certa quædam remedia in promtu non erant ejusmodi, ut affirmare quis posset, cuiusnam usus ægrotis necessario esset profuturus.

§. 21. II. 51. ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον. *Gruner: Weil die Hausgenossen endlich das Wehklagen der Sterbenden nicht mehr achteten. Heilmann: Weil das Winseln und Wehklagen der Sterbenden auf die Lezt auch ihren Hausgenossen unerträglich fiel.* Sed tenendum est, ὀλοφύρεσθαι de complorandis mortuis aut deflendis malis alienis usurpari solere. (confer. *Thucyd.* II. 44. 46. *Lysias* in epitaph. c. 45. 57. 60.) Quare contra reliquorum interpretum opinionem vertimus: Tandem necessarios adeo tædebat, defunctos complorare.

§. 52. Νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο. Jacobi ridicule vertit: *Uebereinander lagen die Leichname der Verstorbenen und der Sterbenden.* Haud dubie auctoris mens est: Alii juxta alios prostrati expirabant: et corpora corporibus superjecta sunt.

§. 22. Ibid. Πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων. Latinus interpres, rerum necessariarum penuria. *Gruner: Viele wählten zu Ersparung der Leichenkosten unerlaubte Begräbniss-Arten. Heilmann* et *Jacobi: Viele giengen dabei so scham-*

los zu Werk aus Mangel an Zubehör, u. s. w. Equidem το ἐπιτηδειων reor oppositum esse ταις ἀναισχυντοις θηκαις, scil. alienis non sine impudentia violandis sepulcris: gentilicia igitur sepulcra, intelligo, non suffecisse, cadaveribus jamjam repleta: quamobrem illos, ritu sacro posthabito in aliena invasisse.

§. 23. Το μεν προσταλαιπωρειν τῳ δοξαντι καλῳ ὀυδεις προθυμος ἠν. Gruner: *Niemand war Willens, sich auf eine anständige Art Etwas zu erwerben.* Heilmann: *Niemand fand sich geneigt, bey rühmlichen Gesinnungen im Elend zu leben.* Uterque scriptoris verba non congrue expressit. Aptius vim verborum assecuti sunt *Valla* et *Jacobi:* Labores tolerare rei causa, quæ honesta videretur, sive probitatis causa molestiæ aliquid suscipere, neminem non pigebat.

Ibidem Ὁ τι δε ἠδη τε ἡδυ και πανταχοθεν το ἐς ἀυτο κερδαλεον, τουτο και καλὸν και χρησιμον κατεστη. Cum plurimi codd. ἐς ἀυτο habeant, quare *Poppo* ἐς ἀυτον in textum receperit, vix intelligimus: commode enim ita possumus interpretari ἐς ἀυτο scil. το ἡδυ κερδαλεον, id quod voluptati opitulatur, et præsidia parat.

Verum hic subsistimus, officii partes obituri, cuius causa hæ schedulæ in medium prodeunt. Nostrum enim est, nomina juvenum recensere, qui cursu gymnastico cum laude peracto doctrinæ et eloquentiæ specimina publice sunt edituri.

Albertus Bardili, Schafhusanus, Theol. stud. de bellorum intestinorum causis et eventibus germanice loquetur.

Joannes Carolus Fischer, Gaildorfensis, Theol. stud. de causis belli peloponnesiaci ebraice disputabit.

Carolus Henricus Krauss, Stuttgartianus, Theol. stud. de Pericle græce disseret.

Julius Ferdinandus Carolus Eberhardus Huber, Ess-

lingensis, Theol. stud. de priore belli istius ætate latinam habebit orationem.

Carolus Lehr, Stuttgartianus, juris stud. de posterioribus belli temporibus gallice disseret.

Fridericus Guilielmus Paulus Aemilius de Maucler, Stuttgartianus, Jur. stud., de Atheniensium durante bello Peloponnesiaco calamitatibus gallice loquetur.

Carolus Conradus Sigismundus Gross, Stuttgart., Juris stud. Alcibiadis mores et gesta gallice describet. Denique

Rudolphus Franciscus Immanuel Binder, Leutkirchensis, Theol. stud. de belli exitu et rebus inde consecutis germanice perorabit.